

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrīs Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.I.], 1645**

Capvt. IV. Exempla prouidentissimæ in homines diuinæ bonitatis, circa  
alimenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

deuiginti habuit, morbo liberat; hunc denique, triginta octo annos, in porticu & paralyssi iacentem, post tot hyemes, erigit. Sed erigit, tanto tempore, patientissima spe, perseuerantem; & erigit extemplò; nam, dictum factum, quippe *statim sanus factus est homo ille.* Enim uero adeò sanus factus est, ut illico sustulerit ipse *grabatum suum*, nouus Atlas factus. Ex quibus omnibus enumерatis exemplis clarum fit, quām diuersa sint diuina iudicia ab humanis? cūm toties Deus iudicet manū porrigendam ijs, quos homines esse deferendos iudicauerunt; quorum vtrumque docet, nec nimiam in hominibus fiduciam collocandā, nec vñquam Deo diffidendum. Hoc est, quod veteri proverbio dicitur: *Dens de machina:* stat enim ille pro nobis inuocatus, cum nos etiam in extrema regula stamus.

## C A P V T. IV.

*Exempla prouidentissimae, in homines, diuinæ Bonitatis, circa alimenta.*

## §. I.

*Tentatio, ac sollicitudo hominum, pro pane quotidiano, quo modo curanda?*

Quæ

**V**æ potentia Christi fuit, in desperatissimis morbis pellendis, ea etiam fuit, in sedanda fame. Nam septem panibus saturauit, in deserto, quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres. Hanc potentiam benevolentiamque si discipuli eius satis agnouissent, nunquam fuissent, dicturi: *Vnde ergo nobis, in deserto, panes tantos, ut saturemus turbam tantam?* neque alij diuinæ diffiderent bonitati, qui, pro ventre & sagina, nimis solliciti dicunt: *Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo cooperiemur? que omnia gentes inquirunt.* Hinc, vt canis pane, & auis esca capitur, sic diabolus multos capit sollicitudine ciborum. *Premium scorti,* ait, *vix unius panis;* *vsq[ue] adeò frustum panis sequitur, non equa modò, sed etiam lupa.* Quis docuit Psittacum suum *χαῖρε?* Magister artis ingenij lar-gitor Venter. Itaque non gentes tantum, sed etiam bestiæ, & impudicæ mulieres, bestijs abiectiores, nihil non faciunt, vt panem acquirant. *Græculus esuriens, in cælum iusseris, ibit;* quid dico, in cælum? multi quotidie, mensæ caussa, in ipsum eunt Acheruntem. Meritò igitur ait Dominus: *Nolite solliciti esse &c: scit enim Pater vester, quia his omnibus*

Matth. 15:  
33.

Matth. 6:  
31.

Prou. 6:  
26.

Persius  
in Prol.

Matth.  
4. 3.

Matth. 4.

4.

Deut. 8.

3.

Psal. 54.

23.

Isa. 49.

14.

indigetis. Itaque cum Stygius hostis multos aggreditur alimentorum curā; cū iam hunc, iam illum alloquitur: *Dic ut lapides isti panes fiant*; cum iubet omnem lapidem moueri, vt venter impleatur; cum varias artes docet pecuniae, panis, vini parandi; cum denique à se vult disci, quomodo liberi, vxor, familia, humana vita sit sustentanda, & cum sexcenta hoc genus insanit; gladio aptiore non potest repelli, quam diuinæ Prudentiæ Bonitatisque protestatione; quæ clarissimè indicatur illis verbis: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quam artem etiam docuit Dauid, cum esurienti dixit: *Iacta super Dominum curā tuam, & ipse te enutriat.* Ne puta eum tui oblitum, & ne dicas: *Dereliquit me Dominus, & Dominus obesus est mei.* Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? et si illa obliteratur, ego tamen non obliuiscar tui.

### §. II.

*Dei suos alentis exempla è diuinis litteris petita.*

Exemplorum affatim diuinæ paginæ subministrant. An non enim primum hominem in admodum fructifero horto collocauit?

An

An non Patriarchæ Jacob filijsque eius, in summa annonæ caritate, per Iosephum AEgypti saluatorem, alimenta prouidit? An non in ipsa solitudine fontem de petra, panem de nubibus eiecit? & quidem panem sapidissimum? Nam *panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* An non, tempore tam diuturnæ famis, Eliæ corui deferabant panem & carnes manè, similiter panem & carnes vespere, & bibebat de torrente? An non eidem postea, per piam viduam, in Sarepta Sidoniorum, de mensa prospexit? An non, quando ipse Christus diabolum à se reiecit e-suriens, qui eum lapides comesse volebat, *Angeli accesserunt, & ministrabant ei?* An non vel solorum virorum quinque millia quinq; panibus hordaceis & duobus piscibus satiauit, idem Dominus, in loco deserto, vbi neque furnus erat, neque pistor? Hæc aliisque complura diuinæ litteræ prodiderunt. Sed quia exempla, cum delectatione, docent, age, alia ex alijs quoque historijs adducamus.

Psal. 77<sup>a</sup>

24.

3. Reg. 17<sup>a</sup>  
6.

Matth. 4.

11.

Ivan. 6<sup>a</sup>

10.

## §. III.

*S. Frontonius, spe diuinæ prouidentiæ, septuaginta viros in desertum trahit.*

Heribertus Rosveydus vir eruditus, &amp; Rosveyd

A 4

ab

**lib. i. de  
vita &  
verbis  
Seniorū  
14. Apr.  
Pag. 238.**

**Matth. 6.  
31.**

ab historijs SS. Patrū clarus, ex D. Hieronymo alijsq; antiquæ fidei & sinceritatis Scriptoribus, inter varias Seniorū vitas, refert, S. Frontonium, quem Martyrologiū Romanū 14. April. Vsuardus & Ado, Frontone (non illum S. Petri discipulum, Episcopum Petragoricū, sed Alexandrię Abbatē) nominant, sub Antonino Imperatore, anno tertio decimo Imperij eius, in AEgypto, cum Mundū, tanquam Diomedeam hospitium, execratus in solitudinem profugere vellet, instar diuini magnetis cuiusdam, septuaginta adeò fratres secum traxisse: quibus persuasit, ut nihil secum, præter minuta olerum semina, & palas sarculōsque deferrent, vsus illis verbis Domini: *Nolite cogitare, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini: hæc enim omnia gentes mundi querunt. Querite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Teneamus promissum, & inueniemus in nobis opus Domini conseruatum.* Hac oratione, diuinæq; Prudentiæ & Bonitatis sponsione, incensi septuaginta viri, instructum ab omnibus rebus necessarijs monasterium, commoditates maximas, liberales piorum hominum manus, & obuia auxilia, uno verbo, cellam & culinam, penum

num & focum deseruerunt; & loca inculta,  
deserta, aspera, vix ipsis feris habitanda ad-  
ierunt. Ibi, vt omne principium feruet,  
vigilijs, precibus, ieunijs, laboribus varijs  
Deo cupidè seruierunt; tantò cælo vicinio-  
res, quantò remotiores à mundo. Angelos  
dixisses. Sed quò non penetrat, seu tentator,  
seu tentatio? Multos in claustris frangit a-  
speritas, multos fatigat diuturnitas: & non  
rarò primi spiritus religionis, cum tempo-  
re, intepescunt, aut omnino cadunt. Quin  
Sathan Tartareus ipse quoq; cibum electum  
affectat, & Cerbero, si bolum adipiscatur  
non quotidianum, optatò accidit. Sed om-  
nium periculosisima pugna est, cum hostis  
simulat amicum; qui & Christum in deserto  
aggressus, amicis in speciem verbis, inimi-  
cissimè voluit præcipitare. Tametsi enim  
non vult Deus otiosis nobis coturnices assa-  
tas in os immittere, sed iubet nos sèdulò o-  
rare: *Panem nostrum supersubstantialem, vel,*  
*vt est apud Lucam, quotidianum, da nobis ho-*  
*die;* immò vult nos ad aratrum manum ap-  
plicare, vt, *in sudore vultus nostri, vescamur*  
*pane nostro,* vt impleatur illud: *maledicta* *Genes. 3.*  
*terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea,* *19.*  
*cunctis diebus vita tuae:* non vult tamen nos

Matth. 6.

II.

Luc. 11. 3.

totos esse, in pastu quærendo, more pecu-  
dum nonnullarum. Quin sacratores seruos  
suos, extra petitionem memoratā, non vult  
**Matth. 6.** cogitare aut dicere: *Quid manducabimus,*  
**31.** *aut bibemus, aut quo cooperiemur?*

## §. IV.

*Tentatio Fratrum, metu famis.*

Per hanc ergo ipsam etiam machinam tā  
sancto cœtui expugnando variæ vndique &,  
vndiq; ex Orco, ad signa, cohortes confluxe-  
runt. Inopia submisit famem, inedia imbecil-  
litatem, caro tristitiam. Dæmon, postquam  
Christi athletas vidit famelicos, & esurio-  
nes factos, quasi in inclinatam aciem, ita sa-  
xa locutus identidem immisit *lapides*: nem-  
pe, nimis duram esse, ac velut saxeam vitam  
Eremitarum: tolerari hanc austерitatē non  
posse: humanam illis naturam esse, non An-  
gelorum: nec vtique uno sudore hauriendū  
esse hunc laborem; duraturum vsq; ad mor-  
tem; quam ipsam hoc genus vitæ, non sine  
homicidij crimine, sit procuraturum. Hæc  
cogitantibus ostendit *omnia regna Mundi,*  
& *gloriam eorum*; obiecit dapes, depinxit  
spumantes pateras; exposuit quidquid est de-  
liciarum. Facile in ruinam impelluntur, qui  
iam antè claudicant. Itaque esuritione tri-  
stes

stes & sui impatientes subiit pœnitentia , & postliminiò ad cæpas atque allia re pexere. Iamq; in apertas murmurationes cæperunt erumpere, atq; inter se mussitare: Cur Frontonius nos huc miseriarum è portu in scopulos duxit ? Cur non mansimus in securo ? Quin redimus ad communem hominum vitam ? An non & illi , qui in urbibus & arcibus degunt, boni esse possunt? An non & illi, licet fame se se non enecent, possunt salutem æternam consequi ? *Quis poterit cibo viuere Angelorum?* Pallefecit vultus ; genua labant ; ob inediam, pedes corpus non ferunt ; nec oculi caligantes officio suo funguntur; denique fame morimur. Et quid mors nostra Numini proderit ieunio accelerata ? diu qui vivit , diu Deum laudat. Hæc illi.

## §. V.

*S. Frontonij , ad fame tentatos , exhortatio.*

Audiens Frontonius eorum murmur antè , quam ad eum conuenirent dicentes aliquid , ipse præueniens eos ait : *Quousq; irritatis Deum murmurantes in cordibus vestris , & dicentes : Nuncquid qui eremum inhabitant , hi tantum sunt Dei serui ? & quis ex cibo poterit viuere Angelorum ? Conueniamus ad Abbatem , &* loqua-

loquamur ad eum: ut habitemus in ciuitate: quia si qui nos illic viderint, oppriuunt nobis, iuxta Dei votum, dirigunt escas, prout cuig<sub>3</sub>, Dominus dederit facere. Illud autem scitote, quia non necabit Dominus fame animam iusti. Ecce oculi Domini super timentes eum, ut alat eos in fame. Et illud non memor amini scriptum, quod ait Apostolus: In fame & siti? sed vobis quoq<sub>3</sub> in eremo nunquam defuerunt radices herbarum, nec mansistis aliquando ieconi. Recordamini autem, quia antea locutus sum vobis:

**Psal. 32.**  
**2. Cor. II**

**Matth. 6.** Nolite cogitare, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini: hæc enim omnia gentes mundi querunt. Nouit Dominus cibum dare timentibus se. Quarite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Si enim Dominus volatilia pascit, & cornuos non deserit: quomodo nos derelinquere poterit, ipsum iugiter in mente habentes, eumq<sub>3</sub> as fiduè orantes? si fame defecerimus in eremo, nos Dominum accusemus, & improperemus ei, cum ad ipsum venerimus, dicentes: Credidimus Eu angelio tuo, ubi dixisti: quod uniuersos in te credentes, cœli pabulo pases: fecimus cuncta que pracepisti, sperauimus in te, & tu nos despexisti. Sed quia ibi nos probasti, hic magis, ut probes veritatem, redde, quod promisisti. Nolite ergo

ergò murmurare aduersus Deum, ne murmu-  
rantes, sicut Patres nostri in deserto, à serpen-  
tibus pereatis. Quod si expectaueritis Domi-  
nūm, quando voluerit, dabit bona timentibus  
se. Quo dicto siluerunt paululum à murmur-  
ratione sua: erant tamē in mœrore positi. Huc  
vſque Frontonius, apud dictum authorem.

§. VI.

*Ex diffidentia in Deum famcs fit male-  
suada.*

Nondum tamen hic finis historiæ: sed in-  
terponendum est aliquid priùs, quām illam  
totam percenseam. Cur enim in mœrore po-  
ſiti iſti, Abbas autem, plenus spe & fiducia,  
in gaudio fuit? Nimirum illi Deum quidem  
crediderunt vbiique præsentem, sed de Dei  
Bonitate non satis bene ſenſerunt, ſed fidu-  
cia Dei caruerunt; Abbas autem, cum ſciret  
tam bonum Mundi Gubernatorem, tam po-  
tentem Conſeruatorem, tam pium patrem  
filijs suis vbiique adesse, persuafſiſimum ha-  
buit, immò, vt certum fidei articulum te-  
nuit, neminem ſibi, absque eius voluntate,  
nocere, nihil necessariarum rerū deesse posſe.  
Nam qui habitat in adiutorio Altissimi, in pro-  
tectione Dei cœli commorabitur. Et ſi, eo vo-  
lente, cibus aliquando deficit, non in ſolo pa-  
ne vi-

Pſal. 90,

I.

Matth. 4,

Iudouij.  
eus Bios  
in Appē-  
dice Mo-  
niliis spi-  
ri.

ne viuit homo , sed in omni verbo , quod proce-  
dit de ore Dei. Sic S. Catharina Senensis , ali-  
quando à die cinerum , usq; ad Ascensionem Do-  
mini , sine cibo , perduravit , sola Eucharistiae  
communione contenta. Quod & in Nicolao ,  
apud Heluetios , per multos annos , videre  
fuit. Potest etiam fieri , vt Deus aliquos fa-  
me sinat extremè affligi. Quod si fiat , vtiq;  
de manu id Domini est accipiendum , qui po-  
testatem habet vitæ necisque nostræ. Fron-  
tonius sciebat Bonitatem diuinam esse tan-  
tam , vt de ea nulli sit diffidendum. Quod v-  
tinam scirent omnes ; non tam multi malis  
se artibus alerent , non furtis digitos , non  
rapinis manus contaminarent ; non fraudi-  
bus , non mendacijs , non periurijs pecuni-  
am facerent ; non se turpi quæstu alerent ;  
non venderent pudicitiam , non interuer-  
rent testamenta ; non spoliarent in filuis &  
crumena , & vita viatores ; non traderent  
Iudæis , conuulnerandam , non ipsi cacodæ-  
moni porrigerent contumelijs fædandā SS.  
Eucharistiam : non tantopere laborarent ,  
in impetrandis schedulis & facultate carni-  
bus vescendi , tempore quadragesimæ ; quip-  
pe alimentum à Deo sperarent , putarentq;  
cum tribus illis sanctis pueris , ipsa se absti-

nene

nentia fore fortiores pinguiorésque. Nouit ille dare necessaria , nouit vires confirmare suorum : qui diuitibus , & cuticulæ caussa , nimis sollicitis , delicatéque ventrē impletibus , longè plures morbos immittit. Semper enim laborant catarrhis ; semper de capite , aut dente queruntur ; semper cordolum , calculum , stomachi cruditates , podagrás & chirágras accusant , cum seipso accusare deberent ; sua sibi intemperantia tālia accerfentes ; semper poscunt sumūntque medicinas ; vt multi plus accipient à pharmacopola , quam è culina. Hæc iusto Dei Iudicio , vtrisque contingunt ; vt & appareat , *non in solo pane viuere hominem , sed in omni verbo , quod procedit de ore Dei , dum mucido pane vicitantes valetudine sunt meliore , & prudentia carnis , velut Tantalus in vndis , ipsa abundantia sua puniatur.*

### §. VII.

*Angelus diuitem admonet , ut seruis Dei fame laborantibus succurrat.*

Vt ergo homines in exemplo doceret dif- fidentésque fratres emendaret , & pariter Frontonij fidē etiam in nos diffunderet Nu- men , illo ipso tempore , quo de victu nimi- um quantum solicti erant , Angelum de cœ- lo mi-

Io misit ad copiosum quendam hominem ,  
quadridui itinere à Monachis distantem , ad  
obsonandum. Intempesta nocte , diues lecto  
suo accubans dormiensque nihil minùs ,  
quàm de liberalitate somniabat. Aurum ple-  
nis manibus comprehendere , nummos af-  
peros sibi videbatur numerare , & Iouialibus  
coenis interesse. Hunc Angelus , alia repen-  
tè oblata imagine , ita compellauit : Nempe  
tu ille splendidus es epulo , qui ventrem sa-  
burra imples , & plus solus degulas , quàm  
alij decem; semper satiatus , nunquam fame-  
licus ; amphora , gurges , helluo , & vnuis de  
genere Apiciorū ; solùmque natus vt fruges  
absumas : at serui mei , in dura solitudine , in  
labore aspero , neque panem habent , quo  
fustententur ? Ad quid tibi diuitias dedit di-  
uina liberalitas ? nisi vt possis esse liberalis ?  
An , vt te cibis occideres ? vel , vt pauperes  
illius in vita seruares ? Experciscere , miser ,  
& , ni malum vis , audi , quid mandet Deus :  
Quàm primùm diluculabit , seruis illius , ex  
omnibus , quæ tibi data sunt , sportulam  
transmitte. Neque graue hoc tibi videatur.  
Magnum beneficium præstat vniuersi Do-  
minus , si quem gregis sui facit procurato-  
rem. Doni loco ab eo accipit , quæ ipse do-  
nauit.

hauit. Qui ergò te semper pauit, vult nunc à te ipse pasci. Nam placuit illi, ex eleemosyna tua, reficere pauperes suos; & quidem eos, qui se se illi in locis solis totos consecraverunt. Hæc exequere. Si neglexeris, scito, te superos iratos; si feceris, debitores habiturum.

## §. VIII.

*Solicitudo, apud homines magna, apud  
Deum sape non satis magna.*

Terruerunt eum hæc verba, & somnos ruperunt. Nec enim potuit diutius dormire à cœlo tam robustis vocibus excitatus. Itaque multò, quam consueuerunt isti, ci- tiùs stratum deserens, de toto negotio seriò cogitauit. Cum autem nesciret Emissarum locum, non illico se se excusatum censuit; non sua solùm nixus est prudentia, neq; si- bi ipse senatus esse voluit; sed necessarijs, amicis, officijs seruisque vindique conuocatis somniúmne dicam, an visum nocturnum? ordine narrauit; & se parere monitis prom- ptissimum ostendit. Ceterūm, quia ipse ignorārat, vbinam locorum serui illi Numinis morarentur, consilium viamque sedulò ro- gauit; æquè auditus itineris noscendi, atque exequendi mandati. Adhuc in eū diem Fron-

F — toni.

tonius, cum suis, latebat, in abditissimo  
montis loco; quem ipsum, ne dum ipsos, præ-  
ter ipsos nemo nouerat. Quare neque ex-  
perti, neque qui senectâ erant ætate, con-  
silium viæ exigenti potuerunt respondere.  
Et tamen ( ô Iudicia Dei ! ) nondum satis e-  
git, qui consilium non inuenientibus, aut  
in longum differentibus, sat se egisse arbi-  
trabatur. Quis non putaret, talem excusa-  
tum? quis non somnium inane fuisse, inter-  
pretaretur? Nesciebat locum, non noue-  
rat homines; post accuratam inquisitionem,  
ne diuinare quidem potuit, vbi inueniren-  
tur. Et facile fortasse etiam erat diuiti, ven-  
tis tradere mandatum liberalitatis.

## §. IX.

*Quam seriam solicitudinem, in exequendis  
mandatis suis, Deus exigat?*

Itaque curâ eleemosynæ largiendæ omni  
seposita; securus sui, nocte altera quieuit.  
Sed non quieuit Deus, qui sæpe angustijs pla-  
gisq; homines adigit ad bene agendum. Ad-  
est ergo iterum Angelus, nec iam mitibus  
atque amicis, sed sœuis, indignantibus &  
minantibus verbis vrget torpenter ad seri-  
am mandati executionē; ac, ne denuò som-  
nium esse existimet, addit verbis acribus gra-  
uia

uia verbera, & istibus confirmat sermonem.  
 Tum verò ille se è plumis actutum proripit,  
 rursusque, & familia omni, & vicinis vn-  
 dique citatis, consilium non iam rogat, sed  
 flagitat, iubetque, per alios quoscunque,  
 sedulò inquiri in habitationem Eremitarū,  
 si ipsi nesciant. Verbis vim lachrymæ addi-  
 derunt; lachrymas autem non de nihilo ca-  
 dere, ostendebant nondum obductæ cicatri-  
 ces, ab Angelo percutiente, relictæ. Mul-  
 tū agitata est quæstio. Nescientibus cun-  
 ctis, nec viam consulendi intuerentibus, v-  
 nus diuina luce perfusus in hæc verba est lo-  
 cutus. Etsi mihi & viri illi, & eorum sedes  
 incognita est, fortasse tamen consilium sug-  
 geram haud insalubre. Sunt tibi cameli se-  
 ptuaginta: his onera impone, & quicquid  
 ad vitam seruorum Dei sustentandam neces-  
 sarium est, è clitellis suspende: tum id faci-  
 to, quod olim Philisthæi, iuxta consilium  
 suorum Sacerdotum; nam tollentes duas vac-  
 cas, que lactabant vitulos iunxerunt ad plan-  
 strum, vitulosq; earum concluserunt domi. Et  
 posuerunt arcam Dei super plaustrum, & cap-  
 sellam, que habebat mures aureos, & similitu-  
 dines anorum. Ibant autem in directum vac-  
 ce, per viam, que dicit Bethfames, & itine-

i. Reg. 6:  
10,

F 2. re uno

re uno gradiebantur , pergentes , & mugientes :  
 & non declinabant neq; ad dexteram , neq; ad si-  
 nistram . Pari pacto tu cibarijs camelos one-  
 ra , solosque , & duce destitutos , viæ com-  
 mitte . Quod si diuina hæc est voluntas , vt  
 tuis opibus Ascetæ isti alantur , camelos tibi  
 incolumes , eodem numero , remittet . Sin ab  
 Orco tibi horum animalium iactura immi-  
 net , satius est iumenta perdere , quam vi-  
 tam . Qui enim te flagellauit , vt moneret  
 duntaxat ; vt puniat , penitus occidet . Dixit ,  
 & persuasit . Nec opulento tantum illi , sed  
 omnibus pariter , qui aderant , sententia pro-  
 bata est .

## §. X.

*Camelorum , in summa inedia , absq; duce ,  
 commeatum Dei seruis portanti-  
 um prodigiosum iter .*

Nullâ morâ interposita , educuntur è sta-  
 bulis septuaginta camelii clitellati , horum  
 quinque fæno & auenâ in dorsum alligatâ ,  
 ceteris sexaginta quinque humanus varij ge-  
 neris cibus est superiniectus ; ita non solum  
 Dei seruis , sed ipsis etiam bestijs , qui illis  
 seruierant , esca est suppeditata . Sic instru-  
 ctos septuaginta camelos , atque in via con-  
 stitutos , non sine singulu fletu quec , cœlesti  
 custo-

custodiæ ac tutelæ solitus paterfamilias commendauit, &, sine duce, sine comite, quocumque ferrentur, liberè sibi abire permisit. Nullus homo bestias regebat; sed non etiam nullus Angelorum. Rectissimis enim lineis, per inuia, & auia, tendebant ad cænobium Eremicolarum. Quarto die, labore & inedia patientissimè toleratis, eò peruererunt, atque ante fores, præ lassitudine, non iam steterunt, sed procubuerunt. Primo camelio, sicut & apud nos iumentis per pascua vagantibus, tintinnabulum ad collum erat appensum, vt ad eius sonitum certi colligerentur. Sed tum, monachis, hora nona, hymnos psallentibus, tintinnabuli pulsus non audiebatur. Cantu nec dum absoluto, Frontonius Abbas, non procul ab ostio claustrí degens, idem simul & ianitor, & Antistes, occulto monitu, de fenestra prospexit, viditque diuinæ prouidentiæ liberalitatem: nec tamen tantum diuinæ Bonitatis gaudium antè fratribus suis indicauit, quam Numini debitas laudes absoluissent. Redeuntes è choro ad se vocauit, monstratisque ordine camelis, ac oneribus sarcinisque eorum, dixit: Vbi sunt diffidentiæ, vbi murmurationes vestræ? En præsentē nobis Do-

mi-

tes:  
d si-  
ne-  
om-  
, vt  
tibi  
n ab  
mi-  
vi-  
eret  
xit,  
sed  
ro-  
  
sta-  
um  
tā,  
ge-  
ūm  
llis  
ru-  
on-  
est  
to-

minum ! en Patrem , Bonitate sua, nobis incredulitatis vitium exprobrantem ! Adeste, iumenta oneribus liberate, lassaq; reficite.

## §. XI.

*Fluctuans eleemosynæ dator, miraculoſo camelorum reditu, prouidentiaq; Numinis, misericordiæ recreatur & confirmatur.*

Dici non potest , quantis lætitijs incesserint, quantis gaudijs sint inundati, in quantas Dei laudes effusi ? Tum & ipsi, & camelii sunt cibis recreati. Quoniam autem plus attulerant , quām necesse erat modico viuire assuetis, noluit S. Frontonius occasionem dare cupiditati habendi. Nec enim ex illa hominum classe fuit , quæ nunquam potest satiari , aut dicere , sufficit. Quare , die inseculo , camelos iterum, media parte omnium rerum , quas apportarant , oneratos , & cum ijs auaritiam pariter à se ablegauit; Eulogias ad proprium Dominū remittens. Minus erat octo dierum, cum is expectauit, horis iam etiam singulis in digitos missis , reditum camelorum: nec sine metu fuit tristitia que amissorum . Ut quid enim bestiæ tam diu impastæ ? An non leonum aliarūmq; belluarum famem potiūs , quām Eremicolarum

larum hominum satiauisse erant existimandæ? sine via, sine duce mittere, quæ prudenter? jámq; consilium, in quod priùs omnes pedibus iuerant, passim damnabant, pœnitiebatque, rectè fecisse. Dies erat posterus & octauus, quo vicini amicique omnes ad Diuitem confluxerant, vt eius dolorem solantibus verbis lenirent, pariterque diuinā clementiam exorarent, ne tanta septuaginta camelorum iactura largissimæ eleemosynæ meritum compensaret. Ita mœstis & ieiunis omnibus vñà confidentibus, repente cœpit aura spirare: cum auræ sonitu, tintinnabuli sonitus, sed subobscurus, vni eorum ad aures allabebatur. Pressit vocem, & attentior videbatur sibi percipere sonum semper propinquiores, de montibus, aduentem. Exclamat, Euangeliū, Euangeliū bono nuncio date: redeunt camelī. Excurgunt omnes properè, quā cui proximum est; currunt, volant; vident, eodem agmine, ordine, numero, itinere, cunctos saluē redeuntes. Fit ingens clamor, &, in tristitia locum, gaudia immensa succedunt: gloria Deo laudésque dantur. Hæc primus aspectus effecit. Ast vbi propriū ventum, tum lœtitiæ longè magis creuerunt. Neque

F 4

enim

enim solum cameli, qui iam perditi putabantur, recepti; sed nulla macie infecti, nullo tristi vultu luridi, insuper & media parte missorum munerum diuites inuenti. O quis tum omnibus sensus! ô quanta gratulatio! quæ exultatio Domini! quæ lætitia seruorum, qui applausus amicorum, ac vicinorum! præsertim, cum, redditis camelis, nobilissimum conuiuiū & illis omnibus presentibus, & quām plurimis insuper aliunde pauperibus inuitatis apparauisset; Eulogiasque sibi remissas, inter eos, lætissimè distribuisset. Nec stetit hīc lætitia: ex illo enim deinde anno, quotannis, usque ad mortem S. Frontonij, tempore, quo camelos primūm miserat, diligentissimè annotato, diues ille semper ad D. Frontonij monasterium, eosdem, sine duce misit, tanto certius redituros, quanto saepius eandem viam recalcare didicerunt; quantoque ducibus Angelis, quām hominibus, viæ sunt notiores.

## §. XII.

*Deo mancipati, Deo potissimum curam  
culinae debent relinquere.*

Videtis, quo modo Vniuersorum Dominus, aut quid diuitibus imperet? opes vult eos suas cum pauperibus habere communes.

Vide-

Videtis, quantam habeat curam suorum ?  
Angelos mittit : somno sopitos excitat ; vi-  
gilantes instigat ; brutas animantes ipsas, per  
desertas solitudines , agit , vt illis cibum af-  
ferant, in tempore opportuno. Quid puta-  
tis tunc Eremitas fecisse ? an non omnem so-  
licitudinem abiecerunt temporaliū rerum ?  
an non murmurare, & querelas spargere de-  
sierunt ? an non , post illa , Domino in lāti-  
tia seruierunt ? Idem & nos facturi sumus ,  
si spem in Deo , non in Mundo, non in aulis,  
non in nostris industrijs , figamus ; si à cælo,  
non ab Orco auxilium flagitemus : si in parte  
assis nostri veniat , non quod prudentia car-  
nis suggestit , sed quod virtus suppeditauit :  
si existimemus, *hominem non in solo pane vine-*

*re, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

4.

Tunc enim non iam ebulliet murmuratio ;  
non erumpet querimonia , non metus futu-  
ri alimenti quatiet ; quia fiducia in Mundi  
Gubernatorem concepta, hæc omnia abstergit .  
Fiduciam autem inducit firmatque di-  
uinæ præsentia , scientia , potentia , miseri-  
cordia , non nuda & frigida cognitio , sed  
affidua & practica meditatio . Sicut enim ci-  
bus visu aspectuque cognitus nihil iuuat ; sed  
cum in ore teritur , cum in stomacho digeri-

F 5 tur,

tur, tum demum vires roborat; ita parum prodest diuina sciē, ad curiositatem; nisi etiam sciantur ad pietatem. Sciuntur autem, si meditatē atque ad usum cognoscuntur: quod sit, quando lecta, vel intellecta vita nostræ actionibus accommodantur. Si ergo Deus ubique est, si tam bonus est, ut à gratia velit innotescere, si à misericordia nomen sibi facere; si in eo sumus toti, & ille totus in nobis existit, quantæ spei, quantæque lœtitiæ causa est, tantæ scientiæ, potentia, clementiæ thesauros, intra nos, hoc est, in anima nostra, in corde nostro, in omnibus animæ virib⁹, in intellectu, in voluntate, in omnibus membris, in omnibus corporis particulis contineri? Cum ergo & omnes illius adsint opes, & nos capaces simus earum, & ipse pronissima voluntate diuitias suas diffundat in eos, qui ad illum configunt, longeque facillimè, qui ex nihilo omnia producit, possit, non solùm in anima gratiam creare, sed etiam corpori necessaria omnia aliunde adducere, cum possit commouere parcus ad largitatem, immites ad misericordiam, auaros ad liberalitatem, aut euocatis locupletioribus ex hac vita, hæreditates opulentas in egenos deriuare, inimicis, sicut

sicut tres pueros, olusculis pinguiores facere, quam alij Iouialibus cœnis & regum delicijs efficiantur; cum camelos ipsos sine ductore regere, sine pastu, plusculos dies, conferuare; *quid timidi estis, modicæ fidei?* quid contra Dominum murmuratis? quid indignè fertis? quid ad artes malas configuratis? quid iugum illius detrectatis? in simplicitate cordis, rem vestram agite, & aget suam Deus: seruite illi, & seruiet ille vobis, supra consuetudinem aliorum dominorum.

§. XIII.

*Seculares quoque, esca non nimiam debent curam habere; nec putare tempus pœnitentia ad se nihil pertinere.*

Neque verò Religiosis duntaxat ista dicuntur, qui omnem harum rerum curam Superioribus debent relinquere, & non culinæ, sed toti cœlestibus vacare; verùm multò maximè occinenda sunt ijs etiam, qui vitam omnem diurnis nocturnisque laboribꝫ impendunt; qui iam timent, ne morbis debilitati, inidonei efficiantur, ad panem quærendum; iam, ne filij multiplicentur supra facultates: iam, ne hostis irrumpat, & longis curis parta auferat, & mille talia, quæ inquietos reddunt. Seruant illi Deo, & De-

us

us alet seruos suos. Impendant, in quadragesima, operibus pænitentiæ, quantum in Bacchanalibus luxui impenderunt; extenuent ventrem jeunijs, quem distenderunt epulis; emacient faciem inedia, tegant genas pallore, quas antea laruis deformarunt, & dæmonibus similes reddiderunt: induant tunicam cilicio vtiliter molestam, habitumque seipso flagellantum, qui ridiculis stultorum vestimentis tecti, per plateas, Mænadum, aut thyrzos vibrantium Baccharum instar, insaniuerunt: denique qui hostem peccatis suis meruerunt nobis adducere, virtutibus suis eundem propellant. Gerit enim se Deus erga nos, quemadmodum nos ipsi nos gerimus erga Deum. Nulla

S. August  
in epist.  
ad Galat.

*creatura est, ait S. Augustinus; quæ non, velit, nolit, diuina prouidentia seruat: Facit enim cum ea, quæ ex animo seruit, quod bonum est: de illa vero, quæ hoc non vult, fit, quod iustum est.*

## C A P V T V.

*Deum, tum in omni, tum etiam in peccataria necessitate, egentibus mirabiliter subuenire.*

§. I.